



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 111. Vorseus Cardinalis ex Cornetani spoliis dives

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A.C. 1518.

§. CXI.

*Volseus Cardinalis ex Cornetani
spoliis dives.*

In defuncti Cardinalis spolia involavit
Volseus Cardinalis; Cum enim Cor-
netanus ab Henrico VII, ad quem ab In-
nocentio VIII. Nuncius Apostolicus fue-
rat decretus, Regisque benevolentiam ac
favores sibi conciliaverat, præter Er-
fordiensem Episcopatum insuper Bato-
nensem, & Wellanam Ecclesias impe-
traffet, ambos hosce episcopatus Leo Pa-
pa Volseo concessit, ratus quod is, quam-
vis Eboracensis Archiepiscopus esset, ad
sustinendam Cardinalis dignitatem am-
pliori reditu indigeret. Præterea Vol-
seus tanta apud Henricum VIII. Angliæ
Regem gratia atque auctoritate valebat,
ut ipse totus a Cardinalis potestate pen-
deret, cunctaque pro illius arbitrio ad-
ministraret. Eidem quoque Leo Papa
curam demandabat, ut in Regno decimas
colligeret, cum vero idem Pontifex Car-
dinalem Laurentium Campegium in An-
gliam ablegaret, ut pro expeditione Tur-
cica a Clero subsidia impetraret, necnon
Henricum induceret, quatenus & ipse fœ-
deri, quod ceteri Christiani Principes, pro
tuenda

tuenda fide Catholica sancire decreve- Sæcul. XV.
 rant, nomen daret, Volseus hanc legatio- A. C. 1519.
 nem sibi a Papa non fuisse delatam,
 injuriæ loco habebat; unde, cum Cam-
 pegius adhuc iter Angliam versus prose-
 queretur, Leoni significari jussit, merito
 se iniquo ferre animo, quod ipse, cum ta-
 men sit Cardinalis, jamque in regno
 præsens existeret, primusque Regis Mi-
 nister esset, flocci tamen haberetur,
 quapropter palam declaravit, quod
 per hunc contemptum sibi adempta esset
 Sanctitati suæ inserviendi potestas, eo-
 quod ejus opera in iis, quæ Papa pete-
 ret, nullius prorsus momenti foret, ut-
 pote Viri, cui ipsamet Romana curia hanc
 Legationem demandare dubitasset; de
 cetero Pontificis plurimum interesse aje-
 bat, ut ad consequenda sua vota ipsius
 præsidio uteretur, cum ipse tanta apud
 Regem polleret auctoritate, ut Papa abs
 ejus auxilio certius spe sua frustraretur.

§. CXII.

*Volseus unacum Campegio Legatus
 in Anglia.*

Ex ejusmodi verbis Leo Papa haud ob- Sander. l. 2.
 scure intellexit, Volseo cedendum es- de schismat.
 se; quapropter literis die decima septima Angl.
 Maji datis in Legationis munere cum
 pari